



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Interitus tyrannorum compendiarie commemoratio. Cap. XVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

## EVSEBII DE VITA

tia efferuntur, & gaudio pene inexplicabili propterea complentur, quòd illustri & præclaro imperatore, ne breuissimo quidem temporis momento caruissent, hunc morum vitæque piè & religiose ad virtutem institutæ exitum esse, in imperatore Constantio vniuerso generi mortalium, qui nostra memoria vixerunt, Deus euidenter monstrauit.

*Interitus tyrannorum compendiaría commemoratio. CAP. XVII.*

**F**Inem autem vitæ aliorum, qui Dei ecclesias bellico quodam more & modo exagitarint, minimè consentaneum iudicauí, quem præsentí sermóni mandarem: neque bonorum memoriám, eorum appositione, qui secus se gesserint in vita, omnino debere cõtaminari. Rerum enim experientia, illis solum, qui ipso oculorum obrutu calamitates cuiusque tyranni aspexerint, quiq; earundem cognitioné auribus acceperint, satis videtur esse ad vitam modestius deinceps sanctiusque moderandam.

*Quòd diuino consilio Constantinus imperium consequutus sit. CAP. XVIII.*

**S**ic igitur Constantinum talis parentis satú editum, principem & imperatorem, Deus omnium author, & totius mundi gubernator, suo solum arbitrio delegit: eo consilio, vt cum alij omnes imperatores hominum suffragiis ad eum dignitatis gradum ascendere consueuerint, de hoc imperatore solo ad honorem efferendo, nemo mortalis omnino gloriaretur.

*Constantini, de Barbaris & Britannis victória. CAP. XIX.*

**I**Taque vt primum fuit in regni solio tuto locatus, imperij portióni, quam rexisset pater, studiose prospexit: commodisque omnium gentium, quarum dominatum pater antè tenuisset, summa cum humanitate & clementia assiduè consuluit. Omnia autem Barbarorum